

## ARTICULUS III.

*Utrum matrimonium conferat gratiam.*

Ad tertium sic proceditur. 1. Videtur quod matrimonium non conferat gratiam. Quia secundum Hugonem (lib. 1 de Sacram., par. 9, cap. 2), sacramenta ex sanctificatione invisibilem gradam conferunt. Sed matrimonium non habet aliquam sanctificationem quae sit de essentia ejus. Ergo non conferat gratia in ipso.

2. Praeterea, omne sacramentum conferens gratiam, conferit ipsam ex materia et forma sua. Sed actus qui sunt materia in hoc sacramento, non sunt causa gratiae: verba etiam experientia consensum non sunt causa gratiae, cum ex eis non sit aliqua sanctificatio. Ergo in matrimonio nullo modo gratia datur.

3. Praeterea, gratia ordinata contra vulnus peccati est necessaria omnibus habentibus vulnus illud. Sed in omnibus inventur concupiscentiae vulnus. Si ergo in matrimonio detur gratia contra vulnus concupiscentiae, debent omnes homines matrimonium contrahere; et sic esset valde stultum a matrimonio abstine.

4. Praeterea, infirmitas non accipit medicamentum ab eodem a quo accipit intensionem. Sed per matrimonium concupiscentia accipit intensionem: quia, sicut dicit Philosophus in 5 Ethic. (cap. ult.), insatiable est concupiscentiae appetitus, et per operationem (1) congruam augetur. Ergo videtur quod in matrimonio non conferatur remedium gratiae contra concupiscentiam.

Sed contra, definitio et definitum debent convergi. Sed in definitione sacramenti ponitur causalitas gratiae, ut in 1 dist. patuit. Ergo cum matrimonio sit sacramentum, erit causa gratiae.

Praeterea, Augustinus dicit (super Gen. ad literam, lib. 9, cap. 7), quod matrimonium est aegrotis in remedium. Sed non est in remedium nisi inquantum aliquam efficaciam habet. Ergo habet aliquid efficacie ad remedium concupiscentiam. Sed concupiscentia non reprimitur nisi per gratiam. Ergo conferatur in ipso gratia.

SOLUTIO. Respondeo dicendum, quod circa hoc fit triplex opinio.

Quidam enim dixerunt, quod matrimonium nullo modo est causa gratiae, sed est tantum signum. Sed hoc non potest stare: quia secundum hoc in nullo differunt sacramentis veteris legis; unde non esset aliqua ratio quare sacramentis novae legis annumeraretur. Quod enim remedium praecedit satisfaciendo concupiscentiae, ne in praeceps (2) ruit, dum nimis arctatur, habuit etiam in veteri lege ex ipsa natura actus.

Ego ideo alii dixerunt, quod conferatur ibi gratia in ordine ad recessum a malo; quia excusatur actus a peccato, qui sine matrimonio peccatum esset. Sed hoc esset nimis parvum: quia hoc etiam in veteri lege habuit; et ideo dicunt, quod facit recedere a malo, inquantum mitigat concupiscentiam ne extra bona matrimonio feratur; non autem per gratiam illam sit aliquod auxilium ad bene operandum. Sed hoc non potest stare: quia eadem gratia est que impedit peccatum, et quae ad bonum inclinat, sicut idem calor qui auferit frigus, et qui calefacit.

(1) *Al.* oppositionem.  
(2) *Al.* in praesenti.

Unde ali dicunt quod matrimonium, inquantum in fide Christi contrahitur, habet ut conferat gratiam adjuvantem ad illa operanda quae in matrimonio requiruntur; et hoc probabilius est: quia ubique datur divinitus aliqua facultas, datur etiam auxilia quibus homo convenienter uti possit facultate illarum sicut patet quod omnibus potentissimis animae respondent aliqua membra corporis, quibus in actu exire possint. Unde, cum in matrimonio detur homini ex divina institutione facultas utendi sua uxore ad procreationem prolis, datur etiam gratia sine qua id convenienter facere non posset; sicut etiam de potestate ordinis supra dictum est; et sic ista gratia data est ut jam res (1) contenta in hoc sacramento.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut aqua baptismi habet quod corpus tangat et cor (2) abluit ex tactu carnis Christi; ita matrimonium hoc habet ex hoc quod Christus sua passione illud representavit; et non principia iterum ex aliqua sanctificatione sacerdotis.

Ad secundum dicendum, quod sicut aqua baptismi vel forma verborum non operatur ad gratiam immediate, sed ad characterem; ita actus exteriores et verba experientia consensum directe faciunt nexus quemdam, qui est sacramentum matrimonii; et hujusmodi nexus ex virtute divinae institutionis dispositio operatur ad gratiam.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procederet, nisi contra concupiscentiae morbum posset aliquod efficacium remedium adhiberi. Adhibetur autem maius remedium per opera spiritualia et carnis mortificationem ab illis qui matrimonio non utuntur.

Ad quartum dicendum, quod contra concupiscentiam potest praestari remedium duplicitate. Uno modo ex parte ipsius concupiscentiae, ut reprimatur in sua radice; et sic remedium praestat matrimonium per gratiam que in eo datur. Alio modo ex parte actus ejus; et hoc duplicitate. Uno modo ut actus ad quem inclinat concupiscentia, exterior turpitudine careat; et hoc fit per bona matrimonii, quae honestant carnalem concupiscentiam. Alio modo ut actus turpitudinem habens impeditur; quod fit ex ipsa natura actus: quia dum concupiscentia satisfit in actu conjugali, ad alias corruptelas non ita incitat: propter quod dicit Apostolus, 1 Corinth. 7, 9: *Melius est nubere quam uiri.* Quamvis enim opera concupiscentiae congrua (5) secundum se nata sunt concupiscentiam augere; tamen secundum quod ratione ordinantur, ipsam reprimunt: quia ex similibus actibus similes relinquuntur dispositiones et habitus.

## ARTICULUS IV.

*Utrum carnalis commixtio sit de integritate matrimonii.* — (5 p., quæst. 29, art. 2.)

Ad quartum sic proceditur. 1. Videtur quod carnalis commixtio sit de integritate matrimonii. In ipsa enim institutione matrimonii dictum est, Gen. 2, 24: *Erunt duo in carne una.* Sed hoc non fit nisi per carnalem commixtione. Ergo est de integritate matrimonii.

(1) *Nicola:* ultima res.  
(2) *In editis* et corpus.  
(3) *Al.* cognita.

2. Praeterea, id quod pertinet ad significacionem sacramenti, est de necessitate sacramenti; ut praedictum est. Sed carnalis commixtio pertinet ad significacionem sacramenti, ut in littera dicitur. Ergo est de integritate sacramenti.

3. Praeterea, hujusmodi sacramentum ordinatur ad conservationem speciei. Sed conservatio speciei non potest fieri sine carnali commixtione. Ergo est de integritate sacramenti.

4. Praeterea, matrimonium est sacramentum, secundum quod remedium contra concupiscentiam praestat, de quo dicit Apostolus, 1 Corinth. 7, 9, quod melius est nubere quam uiri. Sed hoc remedium non praestat in his qui carnaliter non commiscuntur. Ergo idem quod prius.

Sed contra, in paradiso fuit matrimonium. Sed ibi non fuit carnalis copula. Ergo commixtio carnalis non est de integritate matrimonii.

Praeterea, sacramentum ex suo nomine sanctificationem importat. Sed sine carnali commixtione est matrimonium sanctius, ut in littera dicitur. Ergo carnalis commixtio non est de necessitate sacramenti.

SOLUTIO. Respondeo dicendum, quod duplex est integritas. Una quae attenditur secundum perfectio- nem primam, quae consistit in ipso esse rei; alia quae attenditur secundum perfectio- nem secundam, quae consistit in operatione. Quia ergo carnalis commixtio est quadam operatio, sive usus matrimonii, per quod facultas ad hoc datur; ideo erit carnalis commixtio de secunda integritate matrimonii, et non de prima.

Ad primum ergo dicendum, quod Adam expedit integratem matrimonii quantum ad utramque perfectio- nem, quia res ex suo actu innotescit.

Ad tertium dicendum, quod res non pervenit ad finem suum nisi per actum proprium; unde ex

hoc quod fatus matrimonii non habetur sine carni- lali commixtione, ostenditur quod sit de secunda integritate, et non de prima.

Ad quartum dicendum, quod ante commixtio- nem carnalem est matrimonium in remedium ex gratia quae in eo datur, quamvis non ex actu, quod pertinet ad integratorem secundam.

## Expositio textus.

*Cum alia sacramenta post peccatum et propter peccatum exordium sumpserint, matrimonii sacramentum etiam ante peccatum legitur institutum a Domino. Videat quod de matrimonio debuerit determinare ante ordinem: quia prius est quod animal est quam quod spirituale est, ut dicitur 1 Corinth. 13. — Et dicendum, quod quamvis sit primum in via generationis, tamen in via sanitatis et perfectionis est posterius; et ideo illud sacramentum quod habet minimum de spiritualitate, ultimo debet inter sacramenta ordinari.*

*Una de costis ejus sumpta, et exinde muliere formata. De hoc dictum est in 2 lib., dist. 18.*

*Prophetice dixisse, ut propheta referatur ad mysterium Christi et Ecclesiae, quod praevidit; non ad usum mulieris quae solo sensu (1) percipi poterat (2) naturali ratione. Nec consequitur quod si Incarnationis mysterium praevidit, suum casum praesciverit, etiam supposito quod Christus non fuisset incarnatus homine non peccante: quia multa sunt quorum unum non est sine altero, quamvis unum sine altero possit intelligi.*

*Remedium habet, non praenatum, scilicet accidentale, quale habet virginitas; scilicet aureolam.*

(1) *Al.* que consensu percipi etc.

(2) *Nicola:* seu naturali ratione.

## DISTINCTIO XXVII.

## Quae sint consideranda in coniugio.

Post hoc advertendum est, quid sit coniugium, et quae sit efficiens causa coniugij, et causa propter quam contrahatur, et quae sint bona coniugij, et quomodo per ea ex eiusceter coitus carnalis, et quae sint legitimae personae ad matrimonium. Suat et alia plura in matrimonio consideranda quae sub compendio perstringamus.

## Quid sit coniugium.

Sunt ergo nuptiae vel matrimonium, viri mulierisque conjunctio maritalis inter legitimas personas, individualium vitae consuetudinum retinem. Ad individuum considerandum videtur quod absque consensu alterius neuter continentiam profiteri potest vel oratione vacare: quod inter eos, dum vivunt vinculum conjugale permaneat, ut alii se copulare non licet, et ut invicem alteri exhibeat quod quisque sibi. Hac autem descriptione legitimorum et fidem tantum matrimonium includitur.

## De consensu qui efficit coniugium.

Efficiens autem causa matrimonii est consensus, non quilibet, sed per verba expressus, nec de futuro, sed de praesenti. Si enim consentiant in futurum, dicentes: Accipio te in virum, et ego te in uxorem: non est iste consensus efficax matrimonii. Item si consentiant mente, et non exprimant verbis, vel aliis certis signis; nec talis consensus efficit matrimonium. Si autem verbi explicant quod tamen corde non volunt; si non sit coactio ibi vel dolus, obligatio illa

verborum, quibus consentiant dicentes: Accipio te in virum, et ego te in uxorem: matrimonium facit.

*Auctoritibus probat quod solus consensus facit matrimonium.*

Quod autem consensus matrimonium faciat, subditus propositum testimoniis. Ait enim Isidorus (1): *Consensus facit matrimonium.* Item Nicolaus Papa (2): *Sufficiat solus secundum legem eorum consensus de quorum conjugatione ut bus agitur: qui solus si forte in nuptiis defuerit, certe etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur.* Item Joannes Chrysostomus (5): *Matrimonium non quidem facit nuptias, sed voluntas; et ideo non solvit illud separatio corporis.* Item Ambrosius (4): *Non defloratio virginitatis facit coniugium, id est pactio coniugalis.* Ex his apparent quod consensus, id est pactio coniugalis, matrimonium facit, et ex tunc coniugium est, etiam si non praecessit vel secunda est copula carnalis.

(1) In Isidoro non occurrit, sed tantum lib. I Etymol. vel origin., tit. de coniugio, inde sponsus et sponsam dicit, quod in iure matrimonii consentirent (Ex edit. P. Nicolai).

(2) Primus ad consulta Bulgariorum, cap. 5, et habetur in Decret. causa 27, quæst. 2, cap. Sufficiat, cap. Matrimonium, cap. initia- torum, et cap. Coniugij (Ex edit. P. Nicolai).

(5) Sive Auctor operis imperfectorum hom. 52 in Matthaeum (Ex edit. P. Nicolai).

(4) Lib. de institutione virginis, cap. 6 (Ex edit. P. Nicolai).

Quod enim ab ipsa dispensatione, in qua pactio conjugalis exprimitur, coniuges sint, sanctorum testimonia probant. Ait enim Ambrosius (ut sup.): « Cum iniatur conjugium, conjagi nomine asceicetur; cum conjugi viro, conjugium est, non cum viri admittione cognoscitur. » Item Isidorus (ut sup.): « Coniuges verius appellantur a prima dispensatione fidei, quamvis adhuc inter eos ignoretur conjugialis concubitus. » Item Augustinus (lib. 4 de Nupt. et Concub., cap. 11): « Coniux vocatur ex prima dispensatione fidei, quam concubitus non cognovetur, nec fuerat agnitus; nec periclitare nec mendax manerant coniugis appellatae ubi non fuerat nee futura erat (1) carnis uilla commixtio: propter quod fidele conjugium ambo parentes Christi vocari meruerunt, non solum illi mater, sed etiam ille pater ejus sicut coniux matris eius; utrumque tamen mente, non carne. » Ex his evidenter insinuator quod ex tempore quo intercessit consensu voluntarius ac maritalis, qui solus conjugium facit, veri coniuges sunt sponsus et sponsa.

Serendum quodam non est conjugium ante carnalem copulam, sed sponsus et sponsa sunt.

Quidam tamen asserunt, verum conjugium non contrahire ante traductionem et carnalem copulam, nec vere coniuges esse aliquos antequam intercedat mixtio sexus; sed a prima fidei dispensatione viri sponsus, et mulier sponsa est non conjugi. Sponsus autem et sponsa coniuges frequenter appellari dicunt, non quia sint, sed quia futuri sunt; cuius praeponsum invicem fecerunt; et secundum hoc verba praemissarum auctoritatum intelligenda fore tradunt.

Qua ratione nituntur.

Quod vero inter sponsam et conjugem plurimum intersit, ex eo astruunt, quia licet sponsa ante carnalem copulam inconsulto vel nolente sponsum monasterium eligere: quo factio, sponso etiam licet aliam ducere: conjugatus vero vel conjugata nec continentali nisi ex communii consensu servare valet, nec monasterium petere, nisi uterque contrafieri pariter proficit. Quod vero licet sponsas monasterium eligere, auctoritatem sanctorum probatur. Ait enim Eusebius Papa (2): « Desponsatae pueram non licet parentibus aliis viro tradere: iamen licet sibi monasterium eligere. » Item Gregorius (3): « Decreta legalis dispensationis, si converti voluerit, nullo penitus censuruntur. » (4) danno militari. Refert etiam Hieronymus (5) quod Macarius inter Christi eremitas praecepit, celebrato nuptiali coniuvio, cum reliquo thalamum esset ingressurus, ex urbe egressi transmarinaria petiti, et eremii solitudinem sibi elegit. Beatus etiam Alexius similiter ex nuptiis divina gratia vocatus, sponsam deseruit, et nudus Christo famulari coepit. His auctoritatibus et exemplis lignis licet sponsa conjugis ut quae sponsum, et e converso, continentalum proficeri.

Quod conjugatus vel conjugata nequacum continentalium proficeri sine alterius consensu.

Hoc autem conjugatus nullatenus licet. Non enim potest vir melioris vitae propositum sumere sine uxoris consensu, et e contrario. Unde Gregorius scribens Theologias Patriarca (6): « Sunt qui dieut religiosa gratia conjugia debere solvi. Unde sciendum est, quia tali hoc lex humana concessit, tamen lex divina prohibuit. Si vero utriusque continentali vitam ducere, hoc quis audet accusare? Sic enim multos sanctorum novimus eum suis conjugibus, et prius continentem vitam duxisse, et post ad sanctae Ecclesiae reginam migrasse. Si vero continentaliam quam vir appetit, mulier non sequitur, aut quam uxor appetit, vir recusat conjugium dividii potest,

(1) In edit. Nicolai: ubi non futura erat.

(2) Tom. I Concil. part. 1, et referunt in Decret. causa 27, quæst. 2, cap. 1. (Ex edit. P. Nicolai).

(3) Lib. 6 Epistolarum, indict. 15, epist. 20, et referunt in Decretis, loc. cit., cap. Decreta legalia (Ex edit. P. Nicolai).

(4) Al. conservuntur.

(5) Haec appendix a Gratiano addita est post cap. Scriptis nobis ex Nicolo Papa sumptum, sicut et quod sequitur de Alexio. Non autem Hieronymi est, sed aliorum trium, qui Macarii Romani vitem consenserunt, sicut in vita Patrum videtur est (Ex edit. P. Nicolai).

(6) Lib. 9 Epist., indict. 4, epist. 59 (Ex edit. P. Nicolai).

## DISTINCTIO XXVII.

Postquam determinavit Magister de institutione matrimonii et significatione ipsius, hic incipit determinare de causis ejus; et dividitur in partes duas: in prima de causis constitutis matrimonium; in secunda de causis honestantibus ipsum, distincti. 51, ibi: Post haec de bonis conjugi, quae sint, et qualiter coitum excusat, dicendum est. Prima in duas: in prima determinat de causa efficiente matrimonium; in secunda de causa finali ipsius, circa finem 50 distincti, ibi: Exposito quae sit causa efficiente matrimonii, consequentia est ostendere ob quam causam soleat vel debeat contrahi matrimonium. Prima in duas: in prima determinat de causa efficiente matrimonium; in secunda ponit impedimentum illius S. Th. Opera omnia. V. 7.

qui scriptum est (4 Corinthi, 7, 4): Mulier potestatem sue carnis non habet, sed vir: similiter et vir potestatem sue carnis non habet, sed mulier. » Idem (1) « Agathosa latris praesentum questa est virum suum contra voluntatem suam in monasterium esse conversum: quapropter experientia tuae praecepimus ut diligenter inquisitione scutis ne forte ejus voluntate conversus sit, vel ipsa mactare se promiserit. Et si hoc reperierit, et illum in monasterio permanere provideas, et hanc, sicut pronosticata, mactare vitam compellias. Si vero nihil horum est, nec quadam fornicationis crimen, propter quod fieri uxorem dimittere, predictam mulierem communis cognoveris, ne illius conversio axori relatae in saeculo fieri possit perditionis occasio, volumus ut maritum suum illi, etiam si jam tonsuratus est, redire debetas, omni exortatione cessante. Quia nisi fornicationis causa virum uxorem dimittere nulla ratio concedit. Postquam enim copulatione cum uiri et mulierum unum corpus efficiuntur, non potest ex parte converti, et ex parte remanere in saeculo. » Item ex Synodo (2): « Si quis conjugatus converti ad monasterium velit, non est recipiens, nisi prius a conjugi castimonię proficiente fieri absolutus. Tales ergo tunc sine culpa sequuntur Christum relicto saeculo, si habent ex pari voluntate castitatis consensum. » Item (5): « Si vir et uxor diversite pro sola religiosa inter se consenserint vita, mulierum sine consensu Episcopi fiat, ut ab eo singulariter proviso constituantur loco. Nam uxore solente, vel altero illorum, etiam pro tali re matrimonium non solvit. » Item Augustinus (4): « Si abstinet sine uxoris voluntate, tribus ei formicandi licentiam, et peccatum illius immutabatur abstinentiae. » Item Nicolaus Papa (5) « Scriptis nobis Thalberga (6) Regina, regis se vello dignitate, vel copula exui, et sola vita privata esse contentant desideria: re: ei scrupulosus, non hoc aliter fieri posse nisi eandem vitam vir ejus Lotharius elegit. » Ex his patet quod conjugati sine communii consensu monasterium eligere, continetionem proficeri, vel habitum religiosum sumere non valent; et si fecerint, revocari debent. Sponsi vero possunt sine communii consensu monasterium eligere. Unde videtur inter sponsum et sponsam conjugium non esse. Ideoque assentur, a prima fidei dispensatione conjuges appelleri, non re praesentum, sed spe futurorum: quia ex ipso ex dispensatione sibi invicem debent, postea efficientur coniuges. Praemissa autem auctoritates, quibus assentur quod consensus matrimonium facit, ita intelligi volunt, ut consensus vel pactio conjugalis, non ante coitum faciat matrimonium, sed in coitu. Sic enim defloratio virginitatis non facit matrimonium, nisi praecedat pactio conjugalis; ita nec pactio conjugalis, antequam adsit copula carnalis. Ex pactio conjugali sponsi et sponsae fiunt ante coitum, in coitu vero efficientur coniuges. Facit enim pactio conjugalis ut quae prius erat sponsa, in coitu fiat conjugi.

**Responsio ad praedicta cum determinatione superiorum.**  
His autem ita respondemus. Fit aliquando dispensatio: ubi est compromissio viri et mulieris de contrahendo matrimonio; non est autem ibi consensus de praesenti, et est dispensatio habens consensus de praesenti, id est pactio conjugalis, quae sola facit conjugium. In illa ergo dispensatione ubi est pollicitatio contrahendi matrimonium, sponsi tantum et sponsae fiunt, non conjugis; et talibus sponsis licet sine communii consensu continentalum proficeri et monasterium eligere. In ea vero dispensatione ubi est consensus de praesenti, conjugium contrahitur, et ab illius dispensatione prima fidei veri coniuges appellantur. Secundum hanc distinctionem dispensationis de sponsis varie loquuntur doctores.

**Quomodo accipiatur sponsa in subditis capitulis.**  
Aliquando enim sponsas vocant quae tales habuerint

(1) Eod. lib. epist. 44 (Ex edit. P. Nicolai).  
(2) Nec in vera et legitima modo extat, nec in ea etiam quae Photii pseudonymus appellatur. Ex Basilio autem in Reguli fusionis disputatis, cap. 12, colligi potest, ut et causa 27, quæst. 2, cap. Si quis, appendix nota (Ex edit. P. Nicolai).  
(3) Nicolai: in alia Synodo Eugenii II.  
(4) Idem: de adulterinis Coniugis, lib. 1, esp. 4, vel expressus Chrysostomus, hom. 4 in Psalm. 50.  
(5) Idem: Carolo Regi scribens.  
(6) Idem Thalberga.

## DIST. XXVII. ET DIV. TEXT.

desponsationem ubi fuit pactio conjugalis de praesenti; et illae vere coniuges sunt. Unde Gregorius (et habetur in Decret. causa 2, cap. « Si quis uxorem »): « Si quis uxorem despontaverit vel subravarerit, quamquam postmodum, præveniente dies mortis ejus, nequeritur eam ducere in uxorem; tamet nulli de consanguinitate ejus licet accipere eam in coniugio; et si inventum fuerit factum, separetur omnino. » Item Julius Papa (ibid. cap. « Si quis despontaverit »): « Si quis despontaverit uxorem, et subravarerit, et vel præveniente dies mortis, vel irruentibus quibusdam causis eam non cognoverit; nec frater ejus nec ullus de consanguinitate ejus eandem sibi tollat in uxorem ullo unquam tempore. » Item Gregorius (1) (ubi supra, cap. Qui despontatum est): « Qui despontatum proximi sui puerum corpori in coniugium, anathema sit ipse, et omnes consentientes ei: quia secundum legem Dei mori determinatur. Nam divisa legis mos est sponsum appellare coniuges, ut in Evangelio (Matth. 1, 20): Ante Mariam compgem tuam et in Deuteronomio (cap. 22, 29): Si quis alterius sponsam in agro vel quolibet loco oppresserit, vel adduxerit in domum suam, moriatur, quia uxores proximi sui violavit, non quia jam uxor erat, sed quia eae parentibus uxor fieri debet. » Ex his colligatur quod sponsae quædam coniuges sunt ante communionem sexualium. Sed forte illud movet quod in fine capituli dicitur: « Non quae jam uxor erat, sed quae uxor fieri debet. » Quod non ita debet intelligi, quasi uxor vere non fuerit ex quo pactio conjugalis interesset; sed quia nondum traducta fuerat, nec res uxoria interesserat, scilicet conceitus conjugalis.

*Quare non statim traduntur sponsae.*

De impiabilibus pactis, ubi est tantum sponsio futuri, ait Augustinus (5): « Institutum est ut jam pacta sponsio nostra statim tradatur, ne vilen habeat maritus datum, quam non (4) suspirat sponsa dilatam. »

*Quae sponsa sit vidua mortuo sposo, et quae non.*

Et est sciendum, quod illa sponsa quae tantum in futuro est pacta, mortuo sposo non remaneat vidua, quia non fuerit vir eius; unde si quis eam duxerit, ad sacros ordines consendere non prohibetur, quia non duxit viduam. Vidua enim maritus aequo sicut bigamus sacerdos fieri prohibetur. Ex tali autem copula nulla auctoritate a sacris ordinibus.

*Qui alterius sponsam ex mortuo dicit, ad sacros ordines accederi potest.*

Secundum hoc intelligendum est quod ait Pelagius Papa de illo qui, mortuo sposo, ejus sponsam ducit in uxorem: « Nihil est, inquit, quantum ad hunc articulum attinet, quod ei obiectum de canonice institutis, quin ad sacros ordines promoveri valeat. Si vero talis sponsa fuisset inter quam et sponsus ejus consensus de praesenti interessisset, eo mortuo vidua remansisset, cui copulatus in coniugio ulterius ad sacros ordines non accederet, cum viduam duxerit. Non est ergo ambiquid quin solus de praesenti consensus coniugii efficaciat, et exinde veri coniuges appellentur. Ideo post matrimonium, si quis alii se copulaverit, etiam carnis sacramentum illuc sequatur, ad priorem copulam revocandus est.

(1) Quod in Decret. causa supradicta, et eadem quæst. Statuum est, velut in Concilio Toletano referunt. Sed in nullo Toletanorum Conciliorum inventari appendix nota; haberi autem in Concilio Trusleiano, pro quo fortasse quædam instaurata sibi vox perpetrafacta Toletanum putavit repensem. Habet quoque lib. I Capitularium Caroli Magni, cap. 103 (Ex edit. P. Nicolai).

(2) In edit. Nicolai despontum.

(3) Lib. 8 Confess., cap. 5 (Ex edit. P. Nicolai).

(4) Al. dicit non.

## Divisio textus.

Postquam determinavit Magister de institutione matrimonii et significatione ipsius, hic incipit determinare de causis ejus; et dividitur in partes duas: in prima de causis constitutis matrimonium; in secunda de causis honestantibus ipsum, distincti. 51, ibi: Post haec de bonis conjugi, quae sint, et qualiter coitum excusat, dicendum est. Prima in duas: in prima determinat de causa efficiente matrimonium; in secunda de causa finali ipsius, circa finem 50 distincti, ibi: Exposito quae sit causa efficiente matrimonii, consequentia est ostendere ob quam causam soleat vel debeat contrahi matrimonium. Prima in duas: in prima determinat de causa efficiente matrimonium; in secunda ponit impedimentum illius S. Th. Opera omnia. V. 7.

causæ, 29 distincti, ibi: Oportet autem consensum conjugalem liberum esse a coactione. Prima in duas: in prima ostendit quod consensus facit matrimonium; in secunda ostendit qualem oporteat esse illum consensum, dist. 28, ibi: Ille queri debet, utrum consensus de futuro, addito etiam juramento, conjugium efficiat. Prima in duas: in prima, praemissa de quo est intentio, definit matrimonium, ut causa effectui proportionata sumatur; in secunda ostendit quae sit causa matrimonii, ibi: Efficientem autem causam matrimonii est consensus. Et haec dividitur in tres: in prima proponit quod intendit; in secunda probat propositum, ibi: Quod autem consensus matrimonii faciat, subditus probatur testimonius; in tercia excludit errorem, ibi: Quidam tamen assentur, verum conjugium non contrahi ante

traditionem, et carnalem copulam. Et dividitur in partes duas: in prima prosequitur partes erroris eorum; in secunda excludit eum, ibi: *His autem ita respondemus*. Circa primum tria facit: primo ponit opinionem illorum falsam; secundo ponit probatorem eius, ibi: *Quod vero inter sponsam et conjugem plurimum intersit, ex eo astrarunt etc.*; tertio ponit responsionem eorum ad probatorem pro veritate inductam, ibi: *Praemissas autem auctoritates... ita intelligi volunt*.

*His itaque respondemus*. Hie respondet ad probatorem illorum positam; et circa hoc tria facit: primo ponit distinctionem quoddam, qua praedictae auctoritates solvuntur; secundo probat illam distinctionem per diversas sanctorum auctoritates, ibi: *Aliquando enim sponsas vocant que tales habentur desponsationem, ubi fuit pactio conjugalis de praesente; tertio probat eam per rationes, ibi: Et sciendum est, quod illa sponsa quae tantum in futuro est pacta, mortuo sponso non remanet vidua*.

#### QUAESTIO I.

Ilie est triplex quaestio. Prima de matrimonio. Secunda de sponsalibus. Tertia de bigamia.

Circa primum queruntur tria: 1.<sup>o</sup> quid sit matrimonium; 2.<sup>o</sup> utrum consensus sit causa matrimonii; 3.<sup>o</sup> utrum matrimonium possit solvi per religionis ingressum.

#### ARTICULUS PRIMUS.

*Utrum matrimonium sit in genere conjunctionis.*

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur quod matrimonium non sit in genere conjunctionis. Quia vineulum quo aliqua ligantur, differt a conjunctione ipsa sicut causa ab effectu. Sed matrimonium est vineulum quoddam quo matrimonio juncti ligantur. Ergo non est in genere conjunctionis.

2. Praeterea, omne sacramentum est sensibile signum. Sed nulla relatio est accidentis sensibile. Ergo matrimonium, cum sit sacramentum, non erit in genere relationis; et ita nec in genere conjunctionis.

3. Praeterea, conjunctione est relatio aequiparantiae, sicut aequalitas. Sed non est una numero aequalitas relatio in utroque extremorum, ut Avicenna dicit. Ergo nec una conjunctione; et sic, si matrimonium est in genere conjunctionis, non erit unum tantum matrimonium inter duos coniuges.

Sed contra, relatio est secundum quam aliqua ad invicem referuntur. Sed secundum matrimonium aliqua ad invicem referuntur: dicit enim maritus vir uxoris, et uxor mariti uxoris. Ergo matrimonium est in genere relationis, nec est aliud quam conjunctione.

Praeterea, unus duorum ad aliquod unum non fit nisi secundum conjunctionem. Hoc autem fit per matrimonium, ut patet Genes. 2, 24: *Eruunt duo in carne una*. Ergo matrimonium est in genere conjunctionis.

#### QUAESTIUNCULA II.

Ulterius, 1. Videtur quod matrimonium incongrue nominetur. Quia denominatio debet fieri a digniori. Sed pater dignior est matre. Ergo magis debet denominari a patre quam a matre conjunctione utriusque.

2. Praeterea, res debet denominari ab eo quod est de essentia sua; quia ratio quam significat nomen, est definitio, ut dicitur in 4 Metaph. Sed nuptiae non sunt de essentia matrimonii. Ergo non debet matrimonium nuptiae appellari.

3. Praeterea, species non potest proprio nomine nominari ab eo quod est generis. Sed conjunctione est genus ad matrimonium. Ergo non proprie potest conjugium nominari.

Sed in contrarium est communis usus loquentium.

#### QUAESTIUNCULA III.

Ulterius. 1. Videtur quod inconvenienter definitur in littera. Quia in mariti definitione oportet quod matrimonium ponatur: qui maritus est qui est mulieri matrimonio junctus. Sed ipse ponit matrimoniale conjunctionem in definitione matrimonii. Ergo videtur quod sit circulatio in definitionibus istis.

2. Praeterea, per matrimonium sicut vir efficietur maritus mulieris, ita mulier uxor viri. Ergo non magis deberet dici conjunctione maritalis quam uxor.

3. Praeterea, consueudo ad genus moris pertinet. Sed frequenter matrimonio juncti sunt valde moribus diversi. Ergo non debet poni in definitione matrimonii: *Individualis vitae consuetudinem retinens*.

4. Praeterea, inveniuntur aliae definitiones de matrimonio datae. Quia secundum Hugonem (lib. 2 de Saeram, part. 11, cap. 4), matrimonium est duratum idonearum personarum legitimus de conjunctione consensus. Secundum quosdam autem matrimonium est consortium communis (1) vitae, et communicationis divini et humani juris. Et quæreretur qualiter haec definitiones differant.

SOLUTIO I. Respondeo dicendum ad primam quaestionem, quod conjunctione adunationem quamdam importat; unde ubicumque est adunatio aliquorum, ibi est aliqua conjunctione. Ea autem quae ordinatur ad aliquod unum, dicuntur in ordine ad aliud adunari; sicut multi homines adunantur ad unam militiam vel negotiationem exequendam, ex qua dicuntur commilitones ad invicem, vel socii negotiationis; et ideo, cum per matrimonium ordinantur aliqui ad unam generationem et educationem prolis, et iterum ad unam vitam domesticam; constat quod in matrimonio est aliqua conjunctione, secundum quam dicitur maritus et uxor; et talis conjunctione ex hoc quod ordinatur ad aliquod unum, est matrimonium; conjunctione autem corporum vel animorum ad matrimonium consequitur.

Ad primum ergo dicendum, quod matrimonium est vineulum quo ligantur formaliter, non effective; et ideo non oportet quod sit aliud a conjunctione. Ad secundum dicendum, quod quamvis ipsa relatio non sit sensible accidens, tamen cause ejus possunt esse sensibiles: nec in sacramento requiritur quod sit sensible id quod est res et sacramentum (hoc enim modo se habet in hoc sacramento praedicta conjunctione), sed verba expressa consensum, quae sunt sacramentum tantum, et causa praedictae conjunctionis, sunt sensibilia.

Ad tertium dicendum, quod relatio fundatur in aliquo sicut in causa, ut similitudo in qualitate; et in aliquo sicut in subiecto, ut in ipsis similibus; et ex utraque parte potest attendi unitas et diversitas ipsius. Quia ergo in similitudine non est eadem

(1) Nicolai communicationis.

qualitas numero, sed specie in utroque simili; et iterum subjecta similitudinis sunt duo numero; et similiter est de aequalitate; ideo et aequalitas et similitudo omnibus modis est alia numero in utroque simili et aequalium. Sed relatio quae est matrimonium, ex una parte habet unitatem in utroque extremorum, scilicet ex parte causae, quia ad eamdem numeri generationem ordinatur; sed ex parte subjecti habet diversitatem secundum numerum; et ideo haec relatio est una et multiplex; et secundum quod est multiplex ex parte subjecti, significatur his nominibus *uxor* et *maritus*; secundum autem quod est una, significatur hoc nomine *matrimonium*.

SOLUTIO II. Ad secundam quaestionem dicendum, quod in matrimonio est tria considerare. Primo essentiam ipsius, quae est conjunctione; et secundum hoc nominari conjugium. Secundo causam ejus, quae est desponsatio; et secundum hoc vocantur nuptiae a *nubere*, quia in ipsa solemnitate desponsationis qua matrimonium perfectur, capita nubentium velantur. Tertio effectum, qui est proles; et sic dicitur matrimonium, ut Augustinus dicit contra Faustum (lib. 19, cap. 26), *ut hoc quod mulier non debet ad aliud nobiscum, nisi ut sit mater*. Potest etiam dici matrimonium, quasi matris munium, id est officium: quia feminis maxime incumbit officium educandae prolis. Vel dicitur matrimonium, quasi matrem munens: quia jam habet quod defendatur et muniatur, scilicet virum. Vel dicitur matrimonium, quasi matrem monens, ne virum relinquat, alteri adhaerens. Vel dicitur matrimonium, quasi materia unius, quia in eo sit conjunctione ad unam prolem materialiter inducendam, ut dicatur matrimonium a *pros* et *matri*. Vel dicitur matrimonium, ut Isidorus (lib. 9 Etym., cap. 7) dicit, *a matre et nato*; quia per matrimonium efficitur aliqua mater.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis pater sit dignior quam mater, tamen circa prolem magis officiosa est mater quam pater. Vel ideo quia mulier ad hoc principitaliter facta est ut sit homini in adjutorium prolis; non autem vir propter hoc factus est; unde magis pertinet ad rationem matrimonii mater quam pater.

Ad secundum dicendum, quod aliquando essentia cognoscuntur per accidentalia; et ideo etiam per accidentalia aliqua nominari possunt, cum non menetur causa rei innotescendae.

Ad tertium dicendum, quod aliquando species nominatur ab eo quod est generis, propter imperfectionem speciei, quando scilicet habet complete generis rationem; nec tamen aliud addit quod ad dignitatem pertinet; sicut proprium accidentale retinet nomen proprii communis. Aliquando autem propter perfectionem, quando in una specie complete inveniuntur ratio generis, et non in alia; sicut animal denominatur ab anima, quae competit animali corpori, quod est genus animalis; sed animalio non inventur perfectly in animalibus quae non sunt animalia; et similiter est in proposito: quia conjunctione viri ad mulierem per matrimonium est maxima, cum sit et animalium et corporum; et ideo conjugium nominatur.

SOLUTIO III. Ad tertiam quaestionem dicendum, quod, sicut supra dictum est, in matrimonio tria possunt considerari: scilicet causa ipsius, et essentia ejus, et effectus; et secundum hoc tres definitiones inveniuntur de matrimonio datae. Nam de-

(1) *Al.* scilicet vita communis.

#### ARTICULUS II.

*Utrum consensus sit causa efficiens matrimonii.*

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur quod consensus non sit causa efficiens matrimonii. Sacramenta enim non sunt a voluntate humana, sed ab institutione divina. Sed consensus ad voluntatem pertinet. Ergo non est causa matrimonii, sicut nec aliorum sacramentorum.

2. Praeterea, idem non est causa sui ipsius. Sed matrimonium nihil aliud videtur esse quam consensus: quia consensus ipse significat conjunctionem Christi ad Ecclesiam. Ergo consensus non est causa matrimonii.

3. Praeterea, unus debet esse una causa. Sed matrimonium inter duos est unum, ut dictum est: consensus autem duorum sunt diversi, quia diversorum sunt, et etiam in diversa: ab una enim parte

est consensus in virum, ex alia in uxorem. Ergo mutuus consensus non est causa matrimonii.

Sed contra est quod Chrysostomus dicit (Author Oper. imperf. et refertor in Dece., dist. 26, quæst. 2, cap. Matrimonium): *Matrimonium non facit coitus, sed voluntas.*

Praeterea, unus non accipit potestatem in eo quod est liber alterius, nisi per ejus consensum. Sed per matrimonium accipit uterque conjugum potestem in corpus alterius, ut patet 1 Corinth. 7, eum prius uterque sui corporis liberam potestem haberet. Ergo consensus facit matrimonium.

## QUAESTIUNCULA II.

Uterius. 1. Videtur quod non oportet consensus per verba exprimi. Quia sicut per matrimonium redigitur homo in potestatem alterius, ita per votum. Sed votum obligat quo ad Deum, etiam si non exprimatur verbis. Ergo et consensus facit matrimonii obligationem etiam sine expressione verborum.

2. Praeterea, matrimonium potest esse inter aliquos qui suum consensum sibi mutuo verbis exprimere non possunt: quia vel sunt muti, vel diversarum linguarum. Ergo expressio consensus per verba non requiritur ad matrimonium.

3. Praeterea, si omitterat illud quod est de necessitate sacramenti quacumque ex causa, non est sacramentum. Sed in aliquo easu est matrimonium sine expressione verborum: sicut quando pueri taceat præ verecunda, parentibus eam viro tradebantur. Ergo expressio verborum non est de necessitate matrimonii.

Sed contra, matrimonium est sacramentum quadam. Sed in omni sacramento requiritur aliquod sensibilem signum. Ergo et in matrimonio; et ita oportet ibi saltem esse verba exprimentia consensum sensibiliter.

Praeterea, in matrimonio fit contractus inter virum et mulierem. Sed in quolibet contractu oportet esse expressionem verborum, quibus se mutuo homines obligant. Ergo in matrimonio oportet esse consensus per verba expressum.

## QUAESTIUNCULA III.

Uterius. 4. Videtur quod consensus expressus per verba de futuro, matrimonium facit. Quia sicut se habet praesens ad praesens, ita futurum ad futurum. Sed consensus per verba de praesenti expressus facit matrimonium in praesenti. Ergo consensus expressus per verba de futuro facit matrimonium in futuro.

2. Praeterea, sicut in matrimonio fit quedam obligatio per verba exprimentia consensum, ita et in aliis civilibus contractibus. Sed in aliis contractibus non differt utrum per verba de praesenti vel de futuro obligatio fiat. Ergo nec in matrimonio differt.

5. Praeterea, per votum religionis homo contrahit matrimonium spirituale cum Deo. Sed votum religionis fit per verba de futuro, et obligat. Ergo similiter potest fieri matrimonium per verba defuturo.

Sed contra est, quia ille qui consentit in aliquam per verba de futuro, et postea cum alia per verba de praesenti, debet, secundum jura, habere secundam pro uxore. Sed hoc non esset, si con-

sensus per verba de futuro ficeret matrimonium: quia ex quo verum est matrimonium cum una, ea vivente non potest contrahi cum alia. Ergo consensus per verba de futuro non facit matrimonium.

Praeterea, qui promittit se aliquid tractatorum, nondum facit illud. Sed qui consentit per verba de futuro, promittit se cum aliqua tractaturum matrimonium. Ergo non contrahit adhuc cum illa.

## QUAESTIUNCULA III.

Uterius. 1. Videtur quod consensus expressio per verba, etiam si desit interior consensus, facit matrimonium. Quia fraus et dolus nemini debet patrocinari, secundum jura. Sed ille qui verbis consensus exprimit quem corde non habet, dolum committit. Ergo non debet sibi patrocinari, ut ab obligatione matrimonii liber reddatur.

2. Praeterea, assensus mentalis alterius non potest esse alieui notus, nisi quatenus per verba exprimitur. Si ergo expressio verborum non sufficit, sed consensus interior requiritur in utroque conjugum: tunc neuter poterit scire de altero an sit ei verus conjux; et ita erit fornicator quandocumque matrimonio utetur.

3. Praeterea, si aliquis probatur per verba de praesenti in aliquam consensisse, cogitur per excommunicationis sententiam ut eam habeat in uxorem, quamvis dicat consensus mentalis defuisse; etiam postea cum alia contrarerit consensus mentali verbi expresso. Sed hoc non esset, si requireretur consensus mentalis ad matrimonium. Ergo non requiritur.

Sed contra est quod Innocentius III dicit in Dece. (extra de Sponsal. et Matrim., cap. Tua nos, in fine, in isto easu loquens): *Sine consensu neque vetera foedus perficeretur conjugale.*

Praeterea, intentio requiritur in omnibus sacramentis. Sed ille qui corde non consentit, non habet intentionem matrimonium contrahendi. Ergo non fit matrimonium.

SOLUTIO I. Respondeo dicendum ad primam quæstiunculam, quod in omnibus sacramentis est aliqua spiritualis operatio mediante materiali operatione quae cum significat; sicut per ablutionem corporalem in baptismate fit ablutione interioris spiritualis; unde, cum in matrimonio sit quedam spiritualis conjunctio, in quantum matrimonium est sacramentum, et aliqua materialis, secundum quod est in officio naturae et civilis vitae; oportet quod mediante materiali fit spiritualis virtute divina; unde, cum conjunctiones materialium contractuum fiant per mutuum consensum, oportet quod hoc modo etiam fiat matrimonialis conjunctio.

Ad primum ergo dicendum, quod sacramentum prima causa est divina virtus, quae in eis operatur salutem; sed cause secundae instrumentales sunt materiales operations ex divina institutione efficaciam habentes; et sic consensus in matrimonio est causa.

Ad secundum dicendum, quod matrimonium non est ipse consensus, sed quedam unio ordinatarum ad invicem, ut dictum est, quam consensus facit; nec consensus, proprie loquendo, conjunctionem Christi ad Ecclesiam significat, sed voluntatem ejus, qua factum est ut Ecclesia conjugetur.

Ad tertium dicendum, quod sicut matrimonium est unum ex parte ejus in quod fit conjunctio,

quamvis sit multiplex ex parte conjunctorum; ita etiam consensus est unus ex parte ejus in quod consentitur, scilicet predictae conjunctionis, quamvis sit multiplex ex parte consentientium; nec est directe consensus in virum, sed in conjunctionem ad virum ex parte uxoris; et similiter ex parte viri consensus in conjunctionem ad uxorem.

SOLUTIO II. Ad secundum questionem dicendum, quod, sicut ex dictis patet, conjunctio matrimonialis fit ad modum obligationis in contractibus materialibus. Et quia materiales contractus non possunt fieri nisi sibi invicem voluntatem suam verbi prouant qui contrahunt; ideo etiam oportet quod consensus matrimonii faciens verbi exprimatur, ut expressio verborum se habeat ad matrimonium si-  
cuit ablutione ad baptismum.

Ad primum ergo dicendum, quod in voto non est aliqua sacramentalis obligatio, sed spiritualis tantum; et ideo non oportet quod fiat ad modum materialium contractuum ad hoc quod obliget, sicut est de matrimonio.

Ad secundum dicendum, quod quamvis non possint vota sua mutuo verbis tales exprimere, possint exprimere nutibus; et tales nutus pro verbis computantur.

Ad tertium dicendum, quod, sicut dicit Hugo de Sancto Viet. (ubi supra), eos qui conjugantur, sic oportet consentire ut invicem se sponte recipiant; quod iudicatur fieri, si in despositione non contradicant; unde verba parentum computantur in easu illo ac si essent pueri: sunt enim sufficiens signum quod sunt ejus, ex quo non contradicit.

SOLUTIO III. Ad tertiam questionem dicendum, quod cause sacramentales significando efficiunt, unde efficiunt quod significant; et quia cum aliquis consensus suum per verba de futuro exprimit, non significat se facere matrimonium, sed promittit se facturum; ideo talis expressio consensus non facit matrimonium, sed dispositionem ejus, quae sponsalia nominantur.

Ad primum ergo dicendum, quod consensus exprimitur per verba de praesenti, et verba sunt praesentia, et in praesens consentitur pro eodem tempore; sed quando consensus fit per verba de futuro, verba sunt praesentia, sed consentitur in futurum; et ideo non pro eodem tempore; et propter hoc non est simile.

Ad secundum dicendum, quod etiam in aliis contractibus, qui verbis futuris uitur, non transfert potestatem rei sue in alterum; ut si dicat, Dabo tibi sed solum quando verbis praesentibus uitur.

Ad tertium dicendum, quod in voto professionis actus spiritualis matrimonii per verba de futuro exprimitur, scilicet obedientia, vel observantia regulæ, et non ipsum matrimonium spirituale. Si autem matrimonium spirituale in futuro voveatur, non est votum spirituale; quia nondum ex hoc aliquis est monachus; sed se futurum monachum pollicetur.

SOLUTIO IV. Ad quartam questionem dicendum, quod sicut se habet ablutione exterior ad baptismum, ita se habet expressio verborum ad hoc sacramentum, ut dictum est. Unde sicut si aliquis ablutionem exteriorum recipere non intendens accipere sacramentum, sed ludum et dolum facere, non esset baptizatus; ita expressio verborum sine interiori consensus matrimonii non facit.

Ad primum ergo dicendum, quod ibi sunt duo;

scilicet defectus consensus, qui sibi patrocinatur in foro conscientiae, ut non astringatur vinculo matrimonii, quamvis non in foro Ecclesiae, in quo iudicatur secundum allegata; et dolus verborum; et hic non patrocinatur nec in foro poenitentiae, nec in foro Ecclesiae, quia in utroque pro hoc punitur.

Ad secundum dicendum, quod si desi consensus mentalis ex parte unius, ex neutra parte est matrimonium: quia matrimonium consistit in mutua conjunctione, ut dictum est. Tamen probabiliter potest credi dolus non esse, nisi signa evidencia dolis apparet; quia de quolibet est praesumendum bonum, nisi probetur contrarium; unde ille ex cuius parte dolus non est, a peccato excusat per ignorantiam.

Ad tertium dicendum, quod in tali easu Ecclesia compellit eum ad standum cum prima uxore, quia iudicatur secundum ea que foris apparent; nec decipitur in justitia, quamvis decipiatur in facto. Sed ille debet potius excommunicationem sustinere quam ad primam uxorem accedit; vel debet in alias regiones remotas fugere.

## ARTICULUS III.

*Utrum alter conjugum, etiam post carnalem copulam, possit altero invito ad religionem transire.*

Ad tertium sic proceditur. 1. Videtur quod alter conjugum, etiam post carnalem copulam, possit, altero invito, ad religionem transire. Quia lex divina magis debet spiritualibus favere quam lex humana. Sed lex humana hoc permisit. Ergo multo fortius lex divina permittere debuit.

2. Praeterea, minus bonus non impedit maius bonus. Sed matrimonii status est minus bonus quam status religionis, ut patet 1 Corinth., 7. Ergo per matrimonium non debet homo impediri quin possit ad religionem transire.

3. Praeterea, in qualibet religione fit quoddam spirituale matrimonium. Sed licet de leviori religione ad arctiore transire. Ergo et licet de matrimonio leviori, scilicet carnali, ad arcuus, scilicet matrimonio religionis, transire, etiam invita uxore.

Sed contra est quod dicitur 1 Corinth., 7, ut ne etiam ad tempus vacent orationi conjuges sine mutuo consensu a matrimonio abstinent.

Praeterea, nullus potest facere licet quod est in praefiducium alterius, sine ejus voluntate. Sed votum religionis emissum ab uno conjugum est in praefiducium alterius: quia unus habet potestatem corporis alterius. Ergo unus sine consensu alterius non potest votum religionis emittere.

## QUAESTIUNCULA II.

Uterius. 1. Videtur quod nec etiam ante carnalem copulam. Indivisibilitas enim matrimonii pertinet ad matrimonii sacramentum, in quantum, scilicet, significat perpetuam conjunctionem Christi ad Ecclesiam. Sed ante carnalem copulam post consensum per verba de praesenti expressum, est verum matrimonii sacramentum. Ergo non potest fieri divisio per hoc quod alter ad religionem intrat.

2. Praeterea, in ipso consensu per verba de praesenti expresso unus conjugum in alterum potestatem sui corporis transfert. Ergo statim potest exigere debitum, et alter tenetur reddere; et ita